



Universitätsbibliothek Paderborn

**Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum
Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ
Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Virtutibus Moralibus, De Justitia Et Jure Et De
Contractibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDCCXXXIII.

VD18 90392159

Cap. II. De Fortitudine & Virtutibus ei annexis, ac Vitiis oppositis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40993

CAPUT II.

*De Fortitudine, & Virtutibus et annexis,
ac Vitiis oppositis.*

Q. I. **Q**uid est Fortitudo, & quænam sunt
vitia ei opposita?

Resp. I. Fortitudo est virtus, quæ animum
secundùm rectam rationem, & legem divi-
nam moderatur, circa ea, quæ acerba, & ter-
ribilia sunt: ita ut nec pravo timore, nec
temeritate quidquam agat, aut omittat contra
rectam rationem, & legem divinam: qua-
re moderatur timorem, audaciam, & tristi-
tiam in gravibus malis, & periculis præsertim
mortis. Ejus actus sunt aggressio, & perpeccio.

Resp. II. Peccatur contra Fortitudinem per
excessum & defectum timoris, & audendi:
unde quatuor sunt vitia ei opposita. 1. Timi-
ditas seu timor inordinatus, cùm timetur
quod, vel quando non oportet, vel plus-
quam oportet. 2. Animi stupiditas, qui est
defectus timoris rationabilis, ut cùm quis
malâ seu pericula non formidat, nec cavet,
quæ, vel quando, vel quantum oportet formi-
dare, & cavere. 3. Audacia, seu temeritas,
quæ est excessus in audendo vel aggredien-
do, quando, ubi, quomodo non oportet. 4.
Ignavia, quæ est defectus audendi, ut cùm
quis non aggreditur vel non sustinet quod, &
quando, & sicut recta ratio dictat.

Q. 2.

DE VIRTUTIBUS MORALIBUS. 7

Q. 2. Quænam sunt Virtutes Fortitudini annexæ, & Vitia his opposita?

Resp. Sunt quinque ejusmodi virtutes, nimirum

1. Magnanimitas, quæ est virtus ad contemptum rerum caducarum, & ad opera magna, ac heroica qua talia in omni virtutum genere inclinans: quare licet versetur circa opera ardua aliarum virtutum, est tamen specialis virtus; quia ad illa inclinat ex motivo proximo sibi proprio, nempe quia sunt magna & ardua, hoc est consentanea animo magno & generoso, ad maximam dignitatem, perfectionem, ad amicitiam, ac filiationem Dei, beatitudinemque destinato, & magnis gratiæ præsidiis instructo. Ei per excessum opponuntur præsumptio, ambitio, & vana gloria, de quibus dixi in Tract. de peccat. Per defectum verò Pusillanimitas, quæ est vitium, quo quis ex animi parvitate, nimiâque abjectione recusat tendere in id, quod est suæ potentiae proportionatum, detrectatque officium, vel res magnas, quibus gerendis aptus est cum auxilio Dei; suamve autoritatem, dignitatem, & privilegia negligit, cùm id necessarium vel utile est ad Dei honorem, aut aliorum utilitatem. Est mortale, vel veniale peccatum, prout sub mortali, vel veniali tenetur suscipere id quod detrectat; vel tueri id quod negligit.

A 4

2. Hu-

2. Humilitas, est virtus, quæ vera nostri cognitione appetitum excellentiæ propriæ secundūm rectam rationem & Dei voluntatem moderatur, ne inordinate extollamur, & inclinat ad vilitatem nostram, ac subjectionem erga Deum actibus internis, & externis agnoscendam, ac profitendam, atque omnem gloriam, ac honorem Deo ut bonorum omnium authori tribuendum. I^eius actus præcipui sunt,
1. Agnoscere se ex se ipso nihil esse, nihil habere, sed omnia accepisse à Deo: imò se esse peccatorem, adeóque summā pœnā, & contumeliā dignum. 2. Nihil sibi adscribere, sed se ipsum contemnere, omnem honorem, gloriam, ac laudem Deo ut bonorum omnium authori attribuere. 3. Neminem contemne-re, nemini velle præponi; sed omnes sibi animo præferre, considerando aliorum perfectiones, ac virtutes, sua verò vitia, & peccata, juxta illud. Phil. 2. *In humilitate Superiores sibi invicem arbitrantur.* 4. Subjicere se in omnibus Deo, & Superioribus ut Dei Ministris propter Deum. 5. Laudes, & honores, quantum recta ratio permittit, fugere; ea propter se nunquam querere, nec partis delectari. 6. Contemptus, contumelias, & humiliations æquo animo propter Deum exemplo Christi ferre; imò & diligere. 7. In rebus externis, & functionibus, quantum in se est, amplecti semper id, quod est abjectius, & minus hono-ratum

DE VIRTUTIBUS MORALIBUS. 9

ratum, habita tamen ratione decori, dignitatis, & officii.

Humilitas est virtus præstantissima, virtutum procreatrix, & radix summæ, ac æternæ gloriæ; juxta illud Christi, *Qui se humiliat, exaltabitur.* Luc. 14. & 18. estque necessaria ad salutem, imò est fundamentum aliarum virtutum, sicut Superbia estra radix omnis peccati. Ei opponitur non solùm Superbia, sed etiam inordinata sui abjectio, quæ fit cum injuria, aut neglectu munera proprii, aut jacturā statūs sui, vel damno eorum, quibus prodesse debes: ut si pater infra filium, Superior infra subditum exteriorū se abjiciat; nam humilitas inclinat ad sui abjectionem juxta rectam rationem, & ut decet. Unde illud Eccli. 9. *Est qui se nimiū submittit.*

3. Magnificentia, quæ est virtus inclinans ad magna opera externa magnis sumptibus efficienda, quando recta ratio dicitat, & præcipue ad ea, quæ pertinent ad honorem Dei. Differt à liberalitate, quod hæc circa sumptus mediocres, & inordinarios, illa circa majores versetur. Ei opponitur per excessum profusio, qua quis majores sumptus facit, quām ratio dicitat; est mortalis ratione gravis damni proximo illati, ut si propterea debita non solvas, Eleemosynas omittas, &c, per defectum vero parvifcentia, qua quis, præ animi angustia, opus magnos sumptus requirens non audet suscipere, quando oportet, vel susceptum re-

A § linquit,

linquit, vel non decorè perficit, est mortalis, si
graviter quis ad opus magnum teneatur, v. g.
ex voto, promissione, &c.

4. Patientia, qua in rebus adversis mœror
temperatur, & mala præsentia æquo animo
tolerantur. Ei opponitur per excessum impa-
tientia, qua quis plus justo de malis dolet. Pot-
est esse mortalis ratione scandali, vel mali,
quod quis ex impatientia facit, optatve, vel
præcepti violati. Per defectum insensibilitas,
seu animi durities, cùm quis ob animi stupor-
rem nec propriis nec alienis malis movetur.

5. Perseverantia, seu constantia, quæ incli-
nat, & firmat ad persistendum in opere bono,
non obstante molestia ac difficultate quan-
tumvis diuturnâ, quandiu recta ratio dictat.
Ei opponitur per excessum pertinacia, quâ
quis proprium sensum, vel agendi proposi-
tum retinet quando non oportet, vel plus-
quam oportet: per defectum inconstantia in
agendo, quâ quis sine justa causa à bono pro-
posito desistit. Utrâque est mortalis, vel ve-
nialis, pro subiecta materia, seu prout gravis,
vel levis obligatio violatur. Est autem semper
veniale sine justa causa propositum bonum
mutare, vel ab eo benè cæpto desistere in re
non præcepta; quia inordinatum est, & con-
tra rectam rationem leviter & sine rationabili
causa bonum propositum mutare, vel ab in-
choato bono discedere.

CAPUT